

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

ficiorum recensione, hanc formulam repetitam esse, non animaduertimus, sufficit tamen probasse, omnia sacrificiorum genera hanc obfignasse formulam, vnde ad reliqua nunc colligere licebit. Quemadmodum autem, omnia a DEO instituta sacrificiorum genera, Messiam, qui in dierum extremitate venturus, & Deo se victimam, ad expianda, hominum peccata, traditurus erat, respiciebant; ita quoque (2) *εὐωδία* de hoc noui testamenti sacrificio expiatorio dicitur, *Eph. V. 3.* (3) speciali quadam ratione de EVANGELIO, eiusque MINISTERIO, quod Christum crucifixum, praedicat, dicitur *II. Cor. II. 15. 16.* (4) usurpatam videbis vocem de beneficiis siue elemosynis in egenos collatis, *Phil. IV. 18.*

§. VII. In paginis veteris testamenti vocabulo *εὐωδίας*, respondet *ריח גיחוד* *odor acquiescentiae, siue quietis.* Hinc etiam hanc formulam LXX. interpretes vbiuis per *ὄσμων εὐωδίας* verterunt, nec sine pondere. Indicat enim Deum, qui grauissime peccatis offensus erat, vnico sacrificio Messiae, quod ipsi odorem acquiescentiae praebet, reconciliatum esse. Sic *Gen. VIII. 2.* de Noae sacrificio, quod post dilu-

B uium

uium Deo in grati animi monumentum obtulit, legimus: וריח ידוה את ריח הניחח & *odoratus est Ieboua odorem quietis.* Id Chaldaeus paraphraustes bene explicauit: & *accepit DEVS in beneplacito oblationem eius.* Hic ipse locus, egregie hanc nobis phrasin explicat. Iustissimus iudex, homines, qui correctionem Spiritus sui admittere renuebant deleturus, diluuium immiserat maximum. Deleta per illud ingenti hominum, & coeterorum animantium multitudine, Noachus superstes conseruatus, pro tanto Numinis beneficio, vt gratum se sifteret, Deo offert sacrificium, quod ipsi spirabat *odorem quietis*; quid hoc sibi velit, sequentia statim indicant verba: *dixitque Ieboua ad cor suum non addam maledicere amplius terrae.* Ecce destitit ab ira, quam exercuerat, gratiamque impostero incolis terrae large promittit. Propter Messiam enim, ad quem Noachi tendebat fides, gratum ipsi erat sacrificium acceptumque, isque quod ab ira quiuerit, effecit. *Recte Io. Cocceius ** de aliis veteris testamenti sacrificiis, verba faciens: *In veteri testamen-*
to,

* vid. Lutherus in Comm. ad h. l.

** In Lexic. p. 799.

to, *victimae adolitae sic appellabantur, non quod proprie id nomen ipsis conueniret, sed quod substituerentur, pro eo sacrificio, quod DEO gratum est, & quod Deo placeret fides, nitens eo sacrificio, & confessio gratiae DEI, & glorificatio Nominis eius. Tametsi enim victimae darent odorem, aut nitorem, tamen non erant Deo odor acquiescentiae, & placationis irae (nisi ipse Messias hoc praestiterit,) est enim ריח ניחוח proprie ריח מניח חמת יהוה odor faciens quiescere iram DEI.*

§. VIII. Ab hominum moribus, haec desumpta phrasis, ad Deum applicata est. Nihil quippe hominum animos, magis turbat, & commouet, quam ira, adeo, vt totos eos reddat inquietos, & turbulentos. Ira & vindictae cupido incitant & stimulant animum, sine intermissione, ad viam & modum, vlciscendi laesionem indagandum, ne malum illatum incassum ferat. Quando autem homo placatur, & reconciliatur, desinit status antea satis turbulentus, vt nunc, quem alias taedio fugit, beneplacito suscipiat. In Deo quidem, nulla est perturbatio, nullaque datur *ἀταξία*; secundum nostrum tamen concipiendi modum, phrasis a